

**Johannis Gottfried Janckii Commentatio de forcipe ac forifice ferramentis a Bingio inventis : eorumque usu in partu difficili.**

**Contributors**

Janke, Johann Gottfried, 1724-1763.

**Publication/Creation**

Lipsiae : Apud Jo. Christ. Langenhemium, 1750.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/sdcararr>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

IOHANNIS GOTTFRIED IANCKII

C O M M E N T A T I O

D E

F O R C I P E A C F O R F I C E  
F E R R A M E N T I S

A BINGIO, CHIRVRGO HAFNIENSI INVENTIS

E O R V M Q V E V S V

I N P A R T V D I F F I C I L I .



---

L I P S I A E


A P V D I O. C H R I S T. L A N G E N H E M I V M ,

M D C C L.

A D  
CHRIST. GOTTHELFF  
M A R C H I V M

ICTVM CELEBERRIMVM

REIPUBLICAE BUDISSINENSIS PRAETOREM,  
LVSATIAE SVPER ADVOCATVM PROVINCIALEM PRIMARIUM  
COENOBII, QVOD A STELLA S. MARIAE NOMEN  
HABET, SYNDICVM



Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30783070>



## V I R

EXCELLENTISSIME, ATQUE CONSULTISSIME,  
PATRONE OPTUME,



uoties superiora tempora in memoriam reuoco,  
eamque humanitatem atque amorem, quo me  
a teneris, vt aiunt, vnguiculis, talis tantusque  
VIR amplexus es, tacitus mecum considero,  
considero autem saepissime, toties grata eius  
in mente mea versatur recordatio. Inhaerent animo  
penitus infixa illa vota, quibus me in Academiam hanc Lipsien-  
sem abeuntem prosequabar; eorumque obliuisci non siuit  
euentus, qui iisdem satis bene respondit, ita, vt quamuis sextus iam  
agatur fereque labatur annus, ex quo hanc Academiam Celeber-  
rimam eo animo adii, vt Arti Medicae in vniuersum studerem,  
nondum tamen de vale ipsi dicendo cogitem. Adseruatae  
etiam cum cura saepiusque legendo repetitae nunquam non  
me delectant humanissimae litterae, quas hoc temporis in-  
teruallo ad me dedisti. Summa autem cum voluptate su-  
perioris aestatis recordor, qua cum TE ipse conueniebam,  
eodem TE adhuc animo esse, quo erga me semper fuisti, non

## III

solum inueni, sed quoque tantum abesse intellexi, vt vel grauiissima TVA munera, quae me abeunte sustinebas, vel dignitates, quibus post haec, optime meritus, ornatus es, aliquid de TVA in me beniuolentia imminuerint, vt potius magis, quam credi possit, eandem auxerint. Quae si omnia perpendo, quantum TIBI debeam intelligo, quomodo vero non iustas eas, sed aliquo saltem modo TVIS beneficiis responsuras gratias referam, equidem non video. Quas vero referre TIBI non licuit, eas saltem publice agere, propensissimoque animo TIBI habere, gratias constitui. De quo vbi aliquamdiu cogitaueram, tandem in mentem venit, non ingratam TIBI me rem facturum esse, si de ferramentis duobus Chirurgicis, a Bingio Hafniensi Chirурgo, ante aliquot annos inuentis, aliqua conscriberem, eumque libellum TVO Celeberrimo nomini inscribendo, tum pietatis obseruantiaeque erga TE meae in vniuersum aliquod documentum ederem, tum sigillatim quinquagesima prima vice, iam redeuntem Natalem diem TVVM congratularer.

Neque vero haec ferramenta parum idoneum argumentum esse dices, de quo ad TE aliqua perscribam, atque mirari TE, cur non ex Medicina, quam legalem vocant, quaeque a TVIS studiis alienissima non sit, vel ex Botanica, quam TIBI neque ignotam, neque iniucundam esse sciam, aliquid repetierim. Atque ex hac certe fateor desumere me argumentum aliquod eo magis potuisse, quo magis hanc Artem in deliciis habui, quando in ea HEBENSTREITIO, Viro Magnifico, praceptor vesus sum, qui me, praeterquam quod singulas fere medendi artis partes edocuit, plurimis quoque maximisque me semper beneficiis adfecit. Neque non dubitabam ab initio an non Anatomica quaedam exponendo, studiorum

diorum meorum **GVNZIO** duce in Dissecandi arte haetenuis collocatorum, aliquam **TIBI** rationem redderem. Cum vero non tam mei quam **T VI** deberem rationem habere, satius esse intellexi, de illo ex Chirurgia desumto argumento aliqua disputare. Atque primum quidem, quantum pretium **TV** cunctis Chirurgices partibus in vniuersum, tum sigillatim antiquissimae illi obstetriciae arti statuas, probe noui, neque **TE** adeo ferramenta idonea, sine quibus constare illa ars non potest, negligere, vel auersari scio, vt sis hoc meum consilium non parum probaturus, **TV**Aque auctoritate confirmaturus. Deinde quod de vsu horum ferramentorum dicendum fuit, tam parum a **TE** alienum esse deprehendi, vt potius ad Iurisprudentiam Medicam quam maxime pertineat. Ad haec quamuis perspexerim equidem Medendi artem sine Chirurgia nihil valere, vt saepe miratus sim, cur ex Medicis tam pauci Chirurgicae studeant, paeprimis tamen Obstetriciae artis amore teneor, et quo magis eam contemni a plurimis, Medicoque graui indignam haberri video, eo magis eius utilitatem summam demonstrandam esse existimo. Non possum autem, quin magnopere mirer eorum in iudicando temeritatem, qui artem Obstetriciam, eiusque studium, nec utile esse censem, nec necessarium, falsa contemptus specie inducti, quo illam artem ab artis salutaris cultoribus negligi plerumque et mulierculis collendam relinqui vident. Nae illos dictae sententiae summopere paeniteret, si mentis compotes in uterum matris redirent, et, iubente ita diuino numine, conflictarentur cum impedimentis, quae infanti nascituro obiici haud raro solent. Aut vehementer ego erro, aut certissimum est, eos una cum matre abacturos esse inficias mulierculas, saepius ebrias, semper dicas, arcessituros contra virum, artis Obstetriciae probe

gnarum, in eaque exercitatum. Sed age, serio cum iis agamus. Nonne omnium aegrotorum cura ad Medicos pertinet? Sanaene videntur mulieres, quae acerbissimis doloribus vexatae partum edere non possunt? Non magis sanae, quam qui membro aliquo capti eo commode uti non possunt. Largior equidem, opus omnino non esse, ut Medici obstetricum vices omnes agant, id tamen votis maxime expetendum esse existimo, ut ubique viri artis obstetriciae gnari praesto sint, qui mulieres ignaras instituant, haerentes expediant, parientique, si manu non detur, ferramentis idoneis succurrant. Et haec quidem contra eos sufficient, qui omnem artem Obstetriciam a Medico alienam esse censem; Iam igit quoque paucis redarguendi, qui ut utilem eam necessariamque esse non negent, curiose tamen et diligenter a Medicorum filiis excolendam esse non putant. Ilique et uterum et angustias viarum, per quas partus transire debet, rimari de-dignantur, veriti fortassis, ne sibi ab antiquiorum errore, infantem suo nisu viam sibi ex utero aperire, vel contra pellen-tibus auxiliis eiici posse, recedendum sit. Indignabundi re-iiciunt ferramenta, ad carnifices eorum usum referentes, vel si maxime iisdem utendum esse concedunt, necari vel, si iam mortui, in frusta discerpi vincis similibusque instrumentis in-fantes in utero iubent, quos saluos vel saltem integros extrahi oportebat. Neque ex eodem genere medentium pauci sunt, qui non contenti partum interficere, et matri vitam eripiunt, dum parum eorum gnari, quae vel iuuare partum, vel impe-dire queunt, arcana parientibus propinant, quorum vel haec vis est, ut male positum partum prorsus immobilem reddant, vel si etiam nulla est, tamen efficiunt, ut aliis auxiliis in tem-pore neglectis, succurri porro parienti non possit. Quidque vulga-

vulgatus est hoc, sanguinem grauidis quinto potissimum mente, altero tertioque vix unquam mitti? quod utrumque scire facile poterant falsissimum esse, modo partum perpenderint primis mensibus parum, quinto plurimum crescere, sanguinemque adeo non tam hoc quam illo tempore abundare. Neque magis tueri suam sententiam possunt illi, qui variolas sanari posse in grauida, nisi abortum procurauerit medicus, negant, de mortis periculo, quod grauidae tum subeundum est, parum solliciti. Hi adeo sunt, qui non sua modo inscitia magnam aegrotis calamitatem adferunt, sed qui diligentioribus etiam in arte Medica perdiscenda maximam molestiam creant, facileque calumniando imperitis persuadent, ambages quaerere, immo tempus plane perdere, eos, qui in corporis humani structuram, muscularum nexum, venarum arteriarumque flexus, ossium compagem, alia id genus, curiosius inquire satagunt. Qua quidem in re, quantum TV AVVN-CVLE CARISSIME, quamuis a re Medica alienus, saperes hosque sciolos scientia superares praecclare ostendisti, cum non solum sermones meos de Anatomia penitus perspicienda, arteque Obstetricia callenda libenter audiuisti, sed rationem etiam studiorum a me initam probasti, meque adeo ad percurrendum strenue, quod semel ingressus sum Medicinae stadium erexisti, incitasti, Quod ut et in posterum facias, omni, qua possum, animi contentione TE rogo atque obtestor.

Faciam vero, inquires, si tu modo ab aestu, quo in medicastrorum, quos nominas, inueheris, aliquantum remiseris, mihiique adprobaueris, forcicem forcipemque a te describenda ferramenta ad Iurisprudentiam aliquo modo pertinere. Fatoe, VIR AMPLISSIONE, nimis me abreptum fuisse odio istorum hominum, nimis me amori in artem Obstetriciam

## VIII

ciam indulsisse, sed dabis mihi etiam hanc veniam, vt vlcisci verbis graues eorum calumnias, maximasque generi humano illatas noxas liceat. Nunc vero, quae forfici forcipique Bingiano cum Iurisprudentia intereedat coniunctio, accipe. Coepit iam superiori saeculo in Medicina legali siue forensi quaestio agitari, an maturus et viuus partus, qui vel propter capitis magnitudinem excedentem, vel propter viarum in matre angustias, cet. edi non potest, seruandae matris caussa occidens sit, aut an exspectari ad minimum debeat, donec vitam in matris alio amiserit, quo possit tum vncis aut aliis instrumentis laedentibus protrahi? <sup>a)</sup> Atque inter difficilis partus causus non infrequens is est, in quo partus ita praeceps in caput datus est, vt manus auxilio vti non liceat. Quare videtur vtique mors partus in utero haerentis exspectanda esse, quo ferramenta tuto adhiberi queant, vel quia verendum est, ne pariens, doloribus nimis longiusque vexata ipsa animam expiret, ante quam mors infantis consequeretur, ne mater parvulusque ambo pereant, hic matris seruandae caussa occidens,

a) Plures tum veterum tum recentiorum ad has quaest. adsfirmando respondent. Ita enim Riolanus in Enchiridio C. 28. inquit, ast sane nimis dure: Si mulier exegerit duos tresue dies in tormentis partus; si moribunda et examinis; si gangraenae in partibus pudendis <sup>sindica</sup> compareant: Etiamsi certo non constat de morre infantis, vno extrahatur, vt conseruetur mater. Praestat vnum interire, quam duos: Vita matris, praferenda infanti. Non debet mater mori, vt saluetur infans. Tertullianus in Lib. de Anima Cap. 13. inquit: At quin et in ipso adhuc utero infans trucidatur necessaria crudelitate, quum in exitu obliquatus denegat partum, matricida qui moriturus. Beckerus in Tr. de Paidioktonia inculpata ad seruand. pueroram Gießl. 1729. Deuenter Obs. import. sur le Manuel des Accouchemens Part. II. Mauriceau Tr. des Malad. des Femmes Grosses Tom. I. Lib. II.C. 16. p. 295. van Hoorne in Lib. qui inscribitur die zwe von Gott wohl belohnte Wehe-Mütter Siphra und Pua Cap. 2. p. 152.

dus, vel saltem instrumentis laedentibus protrahendus esse. Sed salua nunc res est. Nam forcipe a Cl. Bingio inuenta (sunt enim et ab aliis praecipue inuentae plures) infans, quo- cunque demum modo sit positus, sine noxa educi, materque cum infante seruari potest. Id quod dilucidius ex hac ipsa tractatione patebit.

Sunt igitur ex difficilis partus caussis non paucae, quae, quo minus infans vel protrahi manu viuus et integer possit, efficiunt. Ad easque Auctores non male referunt vias, tum per molles, tum vero praecipue per duras osseasque partes patentes, nimis angustas<sup>b)</sup> peluis conformatiōnem malam,<sup>c)</sup> orificium vteri vel hunc ipsum circa infantem constrictum, brachium infantis ad scapulam usque elapsum ac tumidum factum, infantem hydropicum vel monstrosum, et partum de- nique omnem, sub quocunque situ infantis malo, nimis negle- etum. Sed has enarrasse, properanti ad ipsius forcipis de- scriptionem, sufficiat, unus saltem, isque frequentissimus fere casus curatius explicandus est, in quo Bingianaē forcipis, praef- sentissimus usus est, quique Medicis obstetriciis caput incun- catum audit.<sup>d)</sup> Finito enim grauiditatis tempore, si bene omnia

b) Hae vel in ossibus peluis, vel in partibus externis pudendis sunt. Si in his, non verae angustiae, sed tales tantum relative, ratione ni- mis magni capitū infantis sunt, si in illis, ut plurimum in gibberosis sunt. Conf. Chapman's Improvement of Midwifery Cap. II.

c) Vid. Deventer Obs. des Accouchemens Chap. 27. qui de hac re opti- me scripsit, et totam rem fere ita exhausit, ut vix aliquid addi possit.

d) Quod Galli dicunt la Tête est enclavée, Mauriceau l. cit. la Motte Tr. complet des Accouchem. L. III. C. XX. p. 423. Germani der Kopf des Kindes ist eingenaegt, steckt in der Geburt. Kronauer Diss. Med. Chir. de Tumore Genital. post part. sang. p. 12. vel verharrete Geburt, von Hoorne l. c. p. 145.

omnia succedunt, doloribus vterinis idemtidem corripitur puerpera, iisque membranae foetum et liquorem amnii cingentes, et hic liquor ipse impulsae, vteri orificium cunei in modum dilatant, atque aperiunt, ipsaque tandem rumpuntur, fit adeo aquarum profluum, cumque iis vel partus totus effunditur, vel saltem caput ita subsequitur, ut repetitis parentis nixibus foetus tandem ipse edatur. Saepius vero effusis aquis infans non sequitur, sed per diem unum vel alterum in vtero haeret, aut spasticis vteri motibus tam lente impellitur, ut, quod orificio vteri instabat, caput in viis, per quas transire debebat partus, paene exsiccatis, haereat aut matris nixibus nimium remittentibus, vel circa orificium vteri alto sati loco subsistat. Caput ergo, quod saepius vteri interno ore ambitur,<sup>e)</sup> et inter pelvis ossa est interceptum, ab vtero, qui se constringere continuo nititur, premitur, pressumque et ipsum nonnunquam valde intumescit, et contra orificium vteri reliquaque partes genitales dilatans, atque ossibus adprimens, has quoque insigniter intumescere facit, quo quidem necessario efficitur, ut, cum nec parentis connixui, nec manui, quae prope caput ad pedes prehendendos immitti debebat, cedat, cunei in modum insertum, immobiliter ibi haereat.<sup>f)</sup> Hunc vero internarum aequa ac externarum partium tumorem intensissimus dolor consequitur; isque augeri solet etiam hoc, quod cum externae praecipue genitales partes adeo interdum intumescant, ut praeter morem promineant, vel spasticis constrictionebus adeo angustatae sint, ut vix aliquot digitos admittant.

e) Si caput infantis ab vteri orificio cingitur Galli dicunt, l'enfant est au couronnement Mauriceau l. c. T. I. Lib. H. p. 245. Nostrae vero mulierc. Die Krönung oder das Kind steht in den Schloßn.

f) Vid. Mauriceau l. c. p. 295.

mittant. Obstetrices saepius vi adhibita diducere illas partes et aperire vias nituntur, quo ipso non raro inflammatio, atque immedicabilis gangraena arcessitur. Res igitur per se fere desperata, longe periculosior fit, si haec capitis incuneatio cum malo infantis vterique obliquo situ coniuncta est, quod nulla quidem probatione eget. Ex illis autem caussis, quae in ipso partu sunt, vtque caput incuneatum fiat, efficiunt, nulla, si infantem spectes, frequentior et periculosior est, quam vel totius infantis, vel capitis forma iusto maior,<sup>g)</sup> si matrem vero respexeris, praua ossium peluim constituentium figura,<sup>h)</sup> situs que vteri obliquus:<sup>i)</sup> Caput quidem, etsi magnum, modo sanguinum atque sic positum sit, vt vertex orificii vteri centro vaginalaque axi, facies ossi sacro, occiput ossibus pubis respondeat, spes equidem supereft, fore breui, vt vehementissimis nixibus, intensisque musculis abdominis et diaphragmatis, spirituque a matre impulso, infans in lucem edi possit. Contra cum hydropico, vel male in utero posito partu comparatum est. Is enim vel osseas vias prorsus non subintrabit, vel si subierit, transire non poterit. Nec minus ad capitis infantis incuneationem et paragomphos in conferunt, tum omnia, quae in matre sunt, vitia, tumque sigillatim vteri inclinatio, saepe cum malo infantis situ coniuncta. Quemcunque vero inclinationis vteri modum ponas, cum in nullo non orificium vteri a vaginalae axi recedens vni ex ambientibus ossibus adprimatur, uterus semper, quando se valide constringit, foetumque, vt solet, secundum axin vteri versus oris interni centrum propellit, caput infantis vaginalae acute sentientis lateribus, et ipsius

B 2

oris

g) Deventer l. c. Chap. 34. p. 199.

h) Deventer Chap. 27.

i) Chapmannus in Libr. II. Deventerus Chap. 46. et 48.

oris interni margini adprimet. Quod si vero, illae vteri constrictiones tam vehementes sint, vt caput infantis per orificium vteri aliquantum apertum exire cogant, id tamen non ita fiet, vt per vaginam transeat, quin potius intensissimus tantum in vtero reliquisque genitalibus partibus dolor, nouusque semper in eo stimulus excitabitur, infantis autem et caput et praecipue collum continuo ita laedentur, vt partus cito suffocetur. Inter haec praeterea magna debet humorum copia ad partes genitales tum internas tum externas confluere, easque insigniter inflare, vterus autem ipse valide constrictus, neque, vt repellatur infans, pati, neque si repelli pateretur, quo reciperet infantem, spatium habere. Quod si proinde et aliquando fieret, vt sub commodo parturientis situ, vehementissimisque nisibus caput quidem peluim intraret paullulum,<sup>k)</sup> tamen hoc nouum impedimentum, scilicet genitalium partium praeter modum magna inflatio atque tumor efficient, quo minus partus ipse expelli possit. Caussis adeo quae partum retardant, capiteque in via subsistentibus, tum vires parientis maxime propter dolorem pereunt,<sup>l)</sup> tum vero externalium partium tumor ita augetur, vt immitti sine vi atque laesionis periculo manus vel etiam digitii vix possint. Quod si ergo res naturae committitur, vt mulierculae adstantes vt plurimum ex ignorantia, et inde exorta pertinacia faciunt, nec cito a perito Medico **Obstetricante** a ferramentis auxilium petitur, partes externae tumidiores factae inflammatione atque gangraena cor-

ripiun-

k) Si in pelvis cauitate iam haeret infantis caput, Galli dicunt, l'enfant est au passage Mauriceau Lib. cit. p. 245. Germani vero das Kind schneidet ein, et de infantis capite in vagina incarceratedo, conf. de la Motte Obs. 120.

l) Dionis Chap. 14. la Motte Obs. 246.

ripiuntur, <sup>m</sup>) ac breui post mater cum infante certissime perit.

Quae si velis omnia ,**VIR CONSULTISSIME,**  
TEcum perpendere, facile videbis, hunc difficillimi partus casum ex capite infantis incuneato orti, omne medicamentorum et manus quoque auxilium respuere. Cum enim, quae vulgus medentium foetum pellentia medicamenta vocant, non aliter agere debeant ac possint, quam vtero et ipsis vitalibus organis, iam maxime debilibus stimulum inferendo, sanguinemque versus vterum impellendo, nihil aliud efficient, quam vt pariens tanto citius certiusque cum infante pereat. Si enim integerrimae vires a natura intensae superare impedimenta ac vincere non potuerunt, quanto minus fractae omnino vincent tum, vbi reliquis impedimentis tumor inflammatioque genitalium partium accessit. Neque de manus auxilio in hoc casu vano dubitabis, modo ne digitos quidem in vaginam immitti posse, cogitaueris. <sup>n</sup>)

Et hoc quidem iam olim ex obstetriciis Medicis nonnulli viderunt, atque adeo de inueniendo instrumento cogitabant, quo caput, et per hoc totus infans posset ex via obstrueta protrahi. Atque ex his alii de extrahendo tantum infante vel viuo vel mortuo, alii iisque recentiores de viuo saluoque educendo solliciti fuerunt. Ex his instrumentis pleraque forcipis figuram habent, de vncis enim vel Mauriceau extractore non dicam, qualia inuenerunt Iacob. Ryf, <sup>o</sup>) qui primus forcipis inter veteres inuentor esse videtur, quiique proinde ad

<sup>m</sup>) Mauriceau l. c. p. 295.

<sup>n</sup>) Conf. la Motte Lib. cit. Obs. 120. 138. Mauriceau Obs. 29. 94.

<sup>o</sup>) Figura huius forcipis existat Lib. III. Gynaecior. p. 367.

### XIII

aliam et fere similem detegendam occasionem dedit Palfyno<sup>p</sup>) et Gregorio. <sup>q</sup>) Has alii deinde vel tantummodo emenda- runt, vel plane nouas inuenierunt, quorum principes sunt Cham- berlinus, <sup>r</sup>) Chapmanus, <sup>s</sup>) Giffardus, <sup>t</sup>) Angli, Gregorius Filius, <sup>u</sup>) Puisseau, <sup>x</sup>) Iacobus Mesnard, <sup>y</sup>) Levret, <sup>z</sup>) Gal- li, Schurerus, <sup>a</sup>) Friedius, <sup>b</sup>) Germani.

Quarum omnium forcipum duo fere sunt genera, al- terum earum, quibus infans non nisi mortuus educi potest, ipsa scilicet forcipe peremptus, alterum earum, quibus viuus saluusque extrahitur. Ad primum genus illae, quas Schu- rerus, Puisseau, atque Friedius excogitauerunt, referendae sunt, quippe quae ab interna et ea parte, qua caput infantis

com-

- p) Historia de huius forcipe, correctione perfectioneque exst. in Leureti Lib. qui inscribitur Obs. sur les Causes des Accouchemens laborieux à Paris. 747. p. 81. fig. 14. et in Mauriceau Lib. cit. cochleare alterum Palfyni forcipi perfimile.
- q) Fere talis, quam Cl. Boehmerus in Disq. II. Comp. Manninghamiano adnexa, de praest. et vsu forcip. Angl. delineandam curauit.
- r) Cel. Med. Londinens. de quo plura leguntur apud Chapmanum, cuiusque forcipem descripsit Excell. Boehmerus in Lib. cit.
- s) In Lib, qui inscribitur: Improvement of Midwifery et Tab. V. of the Medical Essays.
- t) Exstat in Libro: Cases in Midwifery.
- u) Vid. Chapman de different. forcip. speciebus.
- x) Huius forcipem aeri incisam inuenies in I. C. Voigtii Diss. de Cap. infant. abrupto, Giess. hab. 743. fig. XI.
- y) Aliquot figuræ apud eundem inuenies in Libr. illo, qui inscribitur: le Guide des Accoucheurs Pref. p. 18.
- z) Qui artificiosissimæ ac valde ingeniosæ forcipis figuram satis quo- que nitide aeri incisam nobis fistit in libro citato: Obs. sur les Cau- ses et les Accidens des plusieurs Accouchemens laborieux.
- a) Med. Pract. Argent. cuius inuentæ forcipis mentionem fecit Voig- tius in Diss. cit. vbi aeri quoque incisam inuenies fig. 13.
- b) Vid. fig. 12. in Voigtii Diss. cit.

comprehendunt, latae atque dentatae sunt, quo firmissime capiti se infigere, et, si necessarium quoque esse videtur, comprimi caput, eiusque volumen aliquantum imminui queat. Accedit in Friedii forcipe inter cochlearia duo simili modo ab interna parte dentata, terebra ferrea posita, paullulum super extremitates cochlearium prominens, qua scilicet caput infantis in vertice perforat, tumque eam in sella turcica figit, coque facto arcte quoque capiti a latere cochlearia adprimit, et sic infantem per caput, dupli modo prehensum, sed mortuum educit. Ex altero genere illae sunt, quas Gallicas vocant, seu illae, quas Gregorii tum Pater, tum Filius, etsi hic a patre inuentam, postquam Anglicanas viderat, correxit, inuenerunt, tum et Anglicanae, quae primum sui Auctorem, Cl. Chamberlinum <sup>c)</sup> agnoscunt, et quae vere Gallicae sunt peculiari modo correctae, <sup>d)</sup> cum hae ab illis vix differant, nisi quod cochlearia duo magis arcuata et crassa neque fenestrata habent. Ad idem forcipum genus et illa, ante aliquot annos, a Leureto inuenta atque descripta pertinet, quae, cum reliquae omnes ex duobus arcubus, ipsa ex tribus, et paullo tenuioribus, atque a manubrii parte circa hoc ipsum, ab altera circa clavum, quo inter se iuncti sunt, ita mobilibus constat, vt, vbi a se inticem diducti fuerint, admodum oblongo-rotundum cauum comprehendant. Eademque generi reliquae forcipes omnes quodam modo adnumerari possunt. Eminent vero inter omnes, vsu crebriori probatae Anglicanae potissi-

<sup>c)</sup> Ut Chapmanus vult l. c. quique de eo adserit, hanc forcipem inter arcana sua habuisse, et ab eo primum ad filios suos tantum translatam fuisse p. m. 5.

<sup>d)</sup> Vid. Chapmanus in Praef.

potissimum, eque iis Chapmaniana, <sup>e</sup>) etsi haec ab illa Giffardi vix, saltem non praecipuis in rebus, discrepat. Quamuis vero non negandum sit, in pluribus iisque difficillimis partibus, a capite nascendo, et situ orificii vteri obliquo, ortis, felici cum euentu eas adhibitas fuisse, <sup>f</sup>) et fortassis illa quoque, omnium sine dubio artificiosissima, Leureti forceps, quibusdam in casibus difficilioribus, nam de omnibus non dicam cum successu, adhiberi posse videatur, omnes tamen, ut infra ostendam, tum structurae ratione tum quoque applicationis, sua habent incommoda, quibus vt mederentur obstetricantes, de alia longe quidem correctiori, simul vero et simpliciori inuenienda cogitarunt. Quod felici satis, nisi me omnia fallunt, euentu, Cl. Bingium Chirurgum Hafniensem praestitisse data nunc forcipis ab eo inuentae descriptione, a me efficiendum esse videtur.

Est igitur haec forceps, <sup>g</sup>) quam Fig. I. integrum sifit, ex chalybe confecta et satis nitide laeuigata, ex duobus primo adspectu brachiis A. B. et C. D. constans, medio loco E. ope epitonii connexis. Summae brachiorum partes, quae scili-

e) Vid. l. c. praef. et Medical Essays, and Observations of the society of Edimbourg.

f) Viuos forcipe eduxisse infantes adfirmsat Chapmanus Cas. 49. et Giffard. Cas. 59. 76.

g) Exempla ipsa, ex quibus forceps forfexque in Tabula aenea delineatae et expressae sunt, ex insigni ferramentorum Chirurgicorum penu mecum beneuole vltro communicauit, dux et auctor omnium meorum in litteris conatum G V N Z I V S. Cuius in augendis et promouendis omnium qui amant litteras facilitatem et studium, mirari indiserto non praedicare licet. Transmissum vero vtrumque ferramentum ante aliquot annos ab ipso Bingio, qui Medicinam et Chirurgiam Hafniae cum laude exercet.

scilicet supra epitonium prominent, A. et C. duo arcus sunt, qui duo quasi cochlearia valde arcuata repraesentant, quae in superioribus quibusque partibus lata, in mediis circiter, et ubi plurimum a se inuicem distant, latissima, versus epitonium vero, ad quod angulo acuto procedunt, fere rotunda, ubiuis continua, non, ut Anglicanarum, fenestrata, et in vtraque tum interiori tum exteriori superficie plana sunt. Distant summae eorum partes A. C. tribus partibus digiti, mediae, ubi maxima diameter, quatuor digitis cum dimidio, infimae et versus epitonium sitae, digito fere uno, aut undecim circiter lineis. Latitudinem harum partium in Fig. II. notatam habes summarum in a a. quae est digiti unius et trium linearum, medianum in b b. unius et nouem linearum, infimarum in c c. undecim fere linearum. Crassities vtriusque cochlearis in L. notata est lineae unius. Longitudo totius forcipis pedem unum cum parte tertia implet. In medio totius forcipis, ubi duo brachia concurrunt, ad decussim posita, quo insideat eo firmius epitonium, quasi manubrio praeditum, non in rotundam sed in planam superficiem fabrefacta sunt. Infra epitonium extremitates inferiores, vel si mauis, crura rotunda facta incipiunt, quibus annulus quidam longior superinductus est, infra quem sensim sensimque a se inuicem diuergendo rotundiora tenuioraque ad extremitates procedunt, quae non adeo multum a se inuicem distantes, versus superiores partes extrorsumque recuruantur, adeoque vincum in semicirculum flexum describentes, finiuntur, eum procul dubio in finem, ut firmius tota forceps manu teneri queat. HABES VIR CONSULTISSIME totius forcipis descriptionem omnibus suis partibus satis perspectam, nisi forte aliquid sub annulis, qui in

## XVIII

vtroque crure conspicuntur, lateat. Recte vtique suspicaris. Tegunt enim hi annuli et firmant duas cuiusuis cruris partes, quod, vt dissolui componique possint, ab artifice singulari arte dissectum fuit. Quod vt possit capi facilius Fig. II. et III. addidimus, quae ex brachiis vnum in duas partes dissectum exhibent. Sinistri itaque brachii crus, infra epitonium, in cylindri speciem efformatum in Fig. I. ab E ad B. descendens, velim adspicias, videbis illud in F et G. ad perpendiculum incisum, inter puncta haec F et G. autem in transuersum sectum in duas partes dissolui posse, quarum superiorem, cochlear quippe et cruris partem Fig. II. inferiorem autem, quae ipsum crus cum annulo exhibit, Fig. III. ostendit. In II. Fig. brachium in d. e. incisum vides, vt brachia inuicem decussatim poni epitonioque adstringi possint, in e. ad f. partem cruris, quae proxime sub epitonio est, habes, in f. ad i. dimidiad cruris partem, ab ea, quam in Fig. III. k et o notatam vides, separatam, in cuius medio foramen quadrangulare et oblongum adparet, in quod, si componere brachium velis, repagulum in Fig. III. litteris l. m. distinctum, inseritur, et vt firmius cohaereant hae partes, annulus, vti in Figurae Imae crure sinistro in H I. factum vides, superinducitur. Annulus vero ipse in inferiore cruris parte a G. ad B. tantum mobilis, in superiori intra E. et F. immobilis haeret, cum superior inferiorem crassitie superet. Epitonium denique in K. cum manubrio delineatum est.

TV vero AVVNCVLE CARISSIME vt forcipis huius utilitatem maximam intelligas, accipe iam eius in partu diffcili adplicandi modum. Medicus scilicet obstetricans, sella paullo demissiori ante parientem sedens, dextrum

trum manibus prehendit cochleare, ita, ut dextrae suae manus volam arcus conuexitati adponat, sinistra vero manu inferiorem partem cochlearis firmiter teneat. Tum sub genu parentis dextro oblique cochleare dicit ad pudendorum labium sinistrum, idque, quantum potest, dextra manu, sed temperata, ad idem latus sinistrum cogit, et inter hoc infantisque caput, tumque interdum inter vteri orificium caputque, super hoc ad aures immo ad apophysin mastoideam usque cochleare leniter protrudit. Quo facto vni ex adstantibus cochlear firmiter tenendum dat, tumque alterum cochlear simili modo a dextro latere immittit. Haec itaque immissa cochlearia, vbi sibi inuicem imposuit, quod sine magna satis vi non fit, epitonio firmat, iisque deinde crura adponit, annulo versus epitonium superinducto, continenda. Capite igitur sic bene prehenso, pudendis vero paullo dilatatis, forcipeque tota composita, hanc ab inferiore parte in centro seu loco combinationis sinistram manus vola complectitur, altera vero dextrae nimirum manus a superiore parte, et quidem ibi, vbi crura recuruantur, hoc tamen modo, ut sinistrum forcipis crus pollice, dextrum medio, annulari ac auriculari digitis prehendat, indicem vero inter duo crura liberum pendere sinat. Tum foetum sic attrahit, ut non recta, sed huc illuc vacillando, forcipemque simul deorsum et versus anum deprimendo educat, Quod, si recte peragitur, breui temporis interuallo tum infans in lucem prodit, tum mater a grauissimis malis liberatur. Debet vero sic peragi, ut capite forcipe extracto, hac remota, manu infantem protrahamus truncō ipsi adplicita. Nec matri inde, nisi incarpius cochleare violenta vi intrudamus, aut forceps

inter protrahendum in capite, valde lubrico, fallat impres-  
sionis vestigia, et sic vel vterum vel vaginam laceremus aut  
saltem vexemus, vlla infertur laesio, neque etiam infanti,  
nisi quod eo loco, quo forceps adplicata fuit, vel cuticula  
abradatur, vel leuior contusio oriatur, quae vero paucō  
vino calido saepius lauata breui sanatur.

Medentes vero antequam hac forcipe vtantur, quae  
caussa quique modus sit difficilis partus, inquirere debere,  
manifestum est. Quare, si caput impactum et vndique arctissi-  
me ab ore vteri atque vagina circumdatum ac pressum, ge-  
nitalia quoque valde tumida deprehendit, protenus tum pa-  
rienti tum necessariis et adstantibus exponat,<sup>h)</sup> in tali casu,  
qualem supra de capite incuneato proposui, nec de con-  
uersione infantis in pedes, nec de emolliendis partibus cogi-  
tandum, matrem contra et infantem in summo vitae peri-  
culo versari, et nisi a forcipe nostra auxilium petatur, cer-  
tissime morituram esse. Hinc iuuabit protenus genitalia  
tumida emollientibus perungere, similes clysteres sine vlo-  
sticulo paratos in aluum immittere, parienti ad vires reficien-  
das pauxillum vini meraci propinare, immo si symptomatum  
grauitas requirit, sanguinem ex vena mittere. Quibus  
sic factis ita pariens statuatur, vt tum forceps oleo puro re-  
centi laxandi paullulum vi praedito, inuncta commode a  
Medico adplicari possit, tum quoque partus facile protrahi,  
quod adeo non raro multumque mutare parientis situm co-  
git, in quod argumentum elegantissime atque doctissime  
com-

<sup>h)</sup> Dionis Lib. III. C. 14. p. 408.

commentatus est CEL. GVNZIVS <sup>i)</sup>). Suntque non pauci casus, in quibus solo parientis situ commodo, atque vnica tantummodo ex nostra forcipe desumta et adhibita lamina impedimentum tolli, educique facile partus potest. Et in ipso capitis incuneati casu totius forcipis applicatio parturienti minus dolorosa foret, et plures infantes longe viuidiores ea protrahi possent, si, quam primum ac membranae ruptae, et aquae effusae sunt, caput vero vel peluim non intrare, vel vbi intrauerit, non exire cognoscitur, forceps adhiberetur. Si enim, extracto partu, vel hic, vel mater, vel, vti aliquando fit, vterque moriatur, non ex eo mori, existimandum est, quod forceps adhibita fuerit, sed quod fuerit pariente iam omnibus viribus exhausta, infante vero a validis et saepius repetitis vteri constrictioneibus atque compressione capitis iam fere suffocato, ceterisque omnibus rebus iam perturbatis, adeoque iusto tardius adhibita. Quocirca etiam dolendum est, harum omnium rerum ex obstetricibus nostris plerasque ignaras, atque simul pertinaces esse, vt peritorum consilia respuant, neque in omnibus vrbibus saltem insignioribus Medicum haberi, qui, quae olim obstetricum munere fungi debent, hanc artem doceat.

Ex his igitur tum de fabrica, tum de vsu huius forcipis propositis, non difficile erit, ostendere, esse illam tum quibus infans non sine vitae periculo protrahitur, tum quibus etiam potest viuus educi p[re]ferendam esse. Vt enim primum de illis dicam, non id quidem vrgebo, quod per se

C 3

claris-

i) In Tr. de Commodo Parientium situ Lips. 742.

clarissimum est, in vniuersum praestare, et matrem et infan-  
tem seruare, quod scilicet nostra forcipe possumus, quam  
vt illa seruetur, hunc quidem occidere; Verum si etiam par-  
tum aliquis nolit occidere, atque tamen forcipe vti debeat,  
primum quidem, si Bingianam forcipem habeat, an viuus  
an mortuus partus sit, inquisitione opus non habet, quae  
non leuis momenti res est. Vt enim de eo non dicam, de  
quo tamen inter medentes fere omnes conuenit, signa mor-  
tis infantis fallacissima esse, an viuus an mortuus sit, cognos-  
ci tamen nisi vteri et pudendarum partium frequenti contre-  
statione non potest, a qua, quod parientis dolores augere,  
arcessereque inflammationem debet, quam maxime abstinen-  
dum est. Deinde tempus perdere Medicus opus non habet,  
quo alias mater et infans in grauius vitae periculum coniiciun-  
tur, in quod mater tum potissimum incidit, si partus nondum  
mortuus esse inuenitur. Tandem mortuo etiam infante for-  
cipum illarum minor, quam Bingiana vtilitas erit vel pro-  
pter hoc, quod quae per illas fere necessario per hanc nun-  
quam fit, capitis infantis laceratio, tantum horrorem potest  
puerperae, iam aliunde satis adfictae, incutere, vt mors  
consequatur, vt vteri metuendam laesionem taceam. Sed  
haec quidem commoda Bingiana forcipi, cum Gallicis, An-  
glicis eiusdemque generis aliis forcipibus communia sunt.  
Propria vero, per quae his omnibus preferenda esse videtur,  
praecipua haec sunt: Primum enim quod laminae extremae  
rotundae, non vero, vt Gallicarum latae adeoque vtrinque  
angulosae sunt, id quidem hanc vim habet, vt non solum  
tutius faciliusque in vaginam immitti, verum etiam capiti  
infantis firmius, praeterquam quod premendo laedatur, ad-  
plicari

plicari queat. Idem videtur laminarum incuruatio praestare, qua quidem maiore, quam in Anglicis, id efficitur, ut caput infantis non extremis tantum laminis, sed tota fere eorum longitudine, adeoque longe firmius comprehendatur, cum reliquae ex loco, cui adfixae vel adpressae fuerunt, facile effugere possint, partumque laedere.<sup>k)</sup> Fortassis tamen propter capitum varietates praestaret, diuersae curuitatis cochlearia vel laminas forcipis habere. Anglicis quoque aequae ac Gallicis Bingiana praestat hoc, quod breuiores laminas habet, quod non parum ad firmius prehendendum, certiusque educendum infantis caput valet. Neque omittendum esse videtur, Bingianae forcipis cochlearia minus quam reliquarum crassa esse, quod praeterquam quod leuius ferramentum faciendo ad commodiorem eius usum plurimum confert, praecipue hoc commodum habet, etiam ubi maxime pudendae partes intumuerunt, facile et sine magno dolore in vaginam demitti posse. Sed haec quidem leuiora sunt. Maioris momenti id est, quod Bingianae forcipis laminae integrae, non, ut Anglicanarum, fenestratae sunt, quod non uno modo securiorem eius usum facit. Quod si enim, ut aliquando fit, pariens vaginae aliquo prolapsu, aut etiam tumore laboret, ubi aliquis Anglicanam forcipem adhibuerit, quid aliud efficiet, quam ut vaginae lateribus, ut decet, diductis, tumorem illum laminarum fenestrarum prehendat, eumque spongiae in modum maiorem factum simul cum capite infan-

(k) Id quod ipse Chapmanus fatetur, sibi aliquoties accidisse p. 16. immo et Giffardus in Cas. XIIII. Quod si hoc forcipe Anglicana factum fuit, quidni Gallica fiet?

## XXIV

infantis adducendo, vel laceret, vel ita saltem vexet, vt eo certius inflammetur, atque gangraena pereat. Neque idem incommodum semper a fenestratis forcipibus, etiam in illis parientibus, aberit, quae turgidas tantum, et tamquam spongiam inflatas partes pudendas atque vaginam habent, quale quid nempe apud nos frequentius quam apud Gallos aut Anglos, cum quorum scilicet, praecipueque Giffardi observationibus hoc parum conuenit, debet accidere, quia mendentes fere nisi aliquot diebus clapsis, atque adeo conclamata fere iam re, ad ferramentorum usum confugiunt. Tandem vero maximum commodum existimandum est, a crurum vel brachiorum Bingiana forceps in duas partes diuisione prouenire. Ut enim de eo fuse non dicam, quod tam leue non est, posse terribile alias, si totum compositum, parienti praecipue adpariturum instrumentum commode abscondi, atque praeterquam fere, quod adstantes, saltem ab initio, videant, applicari, aut etiam, si velit pariens ac necessariae videre, vnius tantum brachii laminam, tamquam illud ferramentum ostendi, quo a latere immisso, tamquam manu prehendi caput, atque mobile reddi debeat, quo, vt adhiberi id finant, longe facilius persuaderi sibi patientur, poterit certe Bingiana forceps in pluribus casibus adhiberi, in quibus reliquarum usum frustra tentauerimus. Cum enim ceterarum brachia longissima sint, debeantque adeo parientis femore ingentem in modum distare, an aliter, quam nudatis partibus naturalibus, animoque proinde parientis per pudorem vehementissime commoto, poterunt illae forcipes adhiberi? Bingiana contra, praeterquam quod pudor laedatur, poterit. Deinde si id pariens non curet, diduci tamen

mora

mora saepe tantum quantum necesse, non poterunt, idque praecipue in obesis accidet, vt proinde si aliquis Bingianam forcipem non habeat, vel occidere partum cogatur, vel donec mortuus fuerit, exspectare. Neque igitur opus erit, vt de Gallicis Anglicisque forcipibus, earumque usu, qui si a Bingiana recesseris, utique maximus est, plura exponam, de Leureti tantum nuper inuenta forcipe aliqua moniturus. Primum ergo, quod Leureti forceps habere videtur incommodeum, hoc est, quod arcus illi tres, quorum alter alteri superimponi potest, vt unicum tantum repraesentent, simul sumti maius efficere videntur volumen quam vt commode inter vaginam atque caput infantis demitti queant, et si singuli satis tenues, atque flexiles sunt. Deinde si etiam sine periculo immitti possent, et alicui capitis parti quasi infigi, non parum metuo, vt quantum necesse est, a se inuicem diduci, et quasi explicari queant. Ut enim vim taceam, quae adhibenda fuerit, si quidem vel extra uterum difficilime diducuntur, non possunt alter a dextro alter vero a sinistro latere vel sursum vel deorsum moueri, quin margines horum arcuum, latera vaginae grauiter contundant, aut plane vulnerent, quia tenuissimus atque fere acutus laminarum margo est. Praeterea cum horum arcuum extrema in uno puncto concurrant, et fixa sint, non possunt quoque nisi unico in loco in capite infantis infigi, id quod eam non perfectiore, verum potius adeo imperfectam reddit, vt vehementer dubitem, an possit eius in capitis incuneati casu vere aliquis usus esse. Quamuis enim concederem, unicum locum, ad eam figendam, sufficere, is certe tamen talis esse debet, vt caput inde recta adduci possit, neque forceps inter attrahend-

## XXVI

dum ex eo loco effugere, quod vtrumque in Leureti forcipe desidero. Caput enim totum prehendere non potest, sed dimidiā modo eius partem, fierique proinde non potest, quin, si v. g. arcus sub mento infantis adplicitus et tota facies forcipeprehensa fuerit, caputque adeo recta adducatur, occiput antrorsum cedat, ac frons proinde ossibus pubis adprimatur. Haec ergo de capite incuneato pensitanti nil nisi inuentoris ingenium laudari deberi ac forceps pro ferramento artificiosissimo haberi videtur, quod, si caput abruptum in vtero remanserit, optimum sine dubio atque utilissimum sit.

Iam TV intelliges, AVVNCVLE SVAVIS-SIME, tale ferramentum, qualis forceps Bingiana est, permagnae utilitatis esse in vniuersa arte obstetricia, ac fere tale, quale haētenus a pluribus desideratum fuit, et quo proinde illa haētenus de *παιδιοντοντια* inculpata agitata quaestio inanis reddi possit. Neque fortassis ipsi ad perfectiōnem aliquid deerit, praeter iuncturae brachiorum modum, quae quod per epitonium fit, tum minus facile, quam in Anglicanis fit, tum etiam minus firma est, adeoque ut ita, quemadmodum Anglicanae brachia committuntur, paretur, optandum erit. Ut vero integrae forcipis in capite incuneato certissimus usus est, sic vnicā quoque lamina licet interdum cum fructu vti, si caput oblique positum vel fronte, vel temporibus, vel occipite ossibus, praecipue pubis, adpressum est.

Nostrae autem forcipis, si quandoque accidat, ut etiam in partu diffīcili usus non sit, neque tamen tum infans occidendus, sed tentandus potius partus caesareus, id est, infans

infans per sectum abdomen et vterum viuus extrahendus est. Quamuis enim ex grauissimis hoc vulneribus sit, minime tamen absolute letale esse censendum est, si quidem hac nostra aetate aliquoties ab harum rerum peritis illam sectionem tentatam legimus et matrem cum infante seruatam, neque vteri, et quac praeter hunc partes laeduntur, vlla ad vitam necessitas est.

Permitas iam **VIR CONSVLTISSIME**, vt et alterum ferramentum, ab eodem Auctore, ante octo annos inuentum, describam, eiusque usum in partu difficulti ostendam, in quo eqnidem breuis esse potero. Forfex est ex chalybe confecta, extus nitidisime laevigata, plane vero aliter, ac vulgares compara, quod facile ex Fig. IIII, intelliges. Ramus sinister  $\alpha. \beta.$ ) oualem in ima parte habet annulum, similem vulgarium forficum, ex cuius medio crus, ab externa parte rotundum, ab interna planum, satis forte adscendit, quod paullo infra coniunctionem cum ramo dextro, in duas diuiditur laminas, ab initio latas, sensim sensimque vero in apicem acutissimum  $\alpha.$  infra quem utraque se contingit, concurrentes. Alter contra ramus  $\gamma. \delta.$  simili equidem annulo, longe tamen maiori, quam prior, praeditus est, simile vero crus ex eo adsurgit, quod paullo sub epitonio in cultrum, inter duas prioris rami laminas procedentem, et cuius acies  $\gamma. \epsilon.$  quae acutissima, extrorsum aut sinistrorum, dorsum vero  $\zeta. \eta.$  introrsum versus est, mutatur. Hic culter superius apice non acuto terminatur, et compressis annulis, ab illis duabus sinistri rami forficis laminis, thecam quasi siue vaginam formantibus, absconditur. Vterque forficis ramus in medio ope epitoniū iungitur. Praeterea vero ramus dexter cultriformis annulo

## XXVIII

suo sinistrum longitudine superat, qui contra apice alterius longitudinem excedit, id quod in adplicatione forfificis scitu necessarium est.

Atque huius forfificis nisi in capitibus infantis perforatione usus non est. Est autem hic: Pollicem dextrae manus in forfificis rami cultriformis annulum maiorem, digitum annularem in oppositum annulum seu minorem inferat, reliquos vero digitos, indicem puta atque medium externae parti rami vaginiformis adponat, hisque quasi totam forficem dirigat. Ita prehensa forfex secundum volam sinistram in uterum demissae manus ad caput usque infantis, eiusque verticem caute immitti debet, eique apex sic imprimi, ut crano perforato, ad duorum vel trium potissimum digitorum latorum altitudinem in cerebrum descendat. Quo facto annulis diductis lamina cultriformis exire cogitur, tumque dextra manu in circulum acta, ex bregmatis ossibus utrinque aliquid excinditur atque confringitur, quod, ut eotius fiat, sinistram manus duo priores digitus capiti infantis adponi debent. Quo facto, cerebroque comminuto, ut vel effluere, vel cum osium fragmentis commode educi, capitisque adeo volumen minui queat, forfex simili cautione educi, tumque vel Bingiana, vel ex ceteris huius generis forcipibus una demitti, et per caput compressum infans educi debet.

Nae tu vero, inquier AVVNCLLE CARISSIME, qui modo valde videri volebas misericors, longe es crudelissimus? Partum modo instituere caesareum malebas,  
quam

quam foetum viuum occidere, nunc vero vix versa pagina in fantem occidere, matremque etiam in periculum inducere non dubitas. Sed caue ita rationes inducas. Nostrae enim forficis viuo infante nullum, mortuo commodissimum usum esse, existimo, atque infantem, dum alia auxilia, quibus ipse cum matre seruari possit, supersunt, supersunt autem semper, occidendum esse, omnino nego. Neque vero in omni mortui partus casu, verum in illo tantum ad forficis Bingianaee usum confugiendum est, ubi, quamuis partus capite instet, forcipum vel nullus, vel, quia tumidae admodum naturales partes nimium dolent, atque a gangraena proxime absunt, minus tutus usus est. Atque ad illud eos casus referimus, ubi maius est infantis capitis volumen, quam quod pelvis cavitatem intrare queat, aut si figura pelvis ea, quam Deuenterus compressam vocat, vel alio modo vitiata est.<sup>1)</sup> Neminem tamen me inuenire memini, qui haec in infante et in matre accidere neget, nisi D. G. Armbsterum,<sup>m)</sup> qui omnem caussam capitis incuneati in caecitate atque ignorantia obstetricum quaerit. Lubentissime equidem, has ut plurimum non solum huius mali caussam praecipuam esse, et hocce tam graue malum, et si ab alia quadam ortum fuerit, saepius longe deteriorius reddere, largior, nunquam tamen in ipsius parentis vel pariendi vitio, caussam sitam esse, a me impetrare non possum, ut credam. Vbi ergo Medicus arcessitus fuerit, caputque incarceratum atque infixum, in uno eodemque vel superiori pel-

D 3

uis

1) Part. I. Chap. 27. von Hoorne p. 205.

m) Vid. Eiusd. Diss. de Paragomphosi Capitis foetus in partu Gotting. hab. 749. pag. 9. et II.

### XXX

uis apertura vel inferiori pertinacissimē haerens loco, inuenierit, et partum certissime mortuum, capitis volumen vel diminuere debet, vel partum caesareum instituere. Sed de illo quidem inter obstetricios Medicos sic conuenit, vt in ferramento tantum ad hanc rem idoneo discrepent. Suntque ex praecipuis hic nominandi Albucasis, <sup>n)</sup> Paraeus, <sup>o)</sup> Guillemeau, <sup>p)</sup> Mauriceau, <sup>q)</sup> Friedius, <sup>r)</sup> quorum omnium tamen methodo, minus nempe tuta, longe melior illa videtur, quam in medium attulerunt van Hoorne <sup>s)</sup> Deuenter <sup>t)</sup> et la Motte, <sup>u)</sup> qui scilicet prae reliquis de hac re legi merentur.

Nihil ergo TIBI VIR CONSULTISSIME hic noui propono, nisi fortassis hoc, quod omnia ab his Auctoribus inuenta instrumenta capiti quidem perforando, non vero satis aperiendo, ac dilatando idonea sunt, id quod tamen ad capitis imminutionem absolute necessarium est; Bingiana igitur forfex, quod hoc simul vtique praefstat, ceteris huius generis ferramentis iure praefertur. Caput enim, magna parte ex vtroque parietali osse exsecta, vi vteri constringente necesse est comprimi, effluenteque cerebro imminui. Tumque partus vel sponte et solis matris atque vteri viribus natura-

n) Cap. 76.

o) Lib. 23. Cap. 33.

p) Tr. des Accouchemens Lib. II. Chap. 17.

q) Vid. Fig. quam Tom. I. Cap. 16. et 32. p. 364. habet.

r) Huius Fig. exstat in Voigtii Diss. saepius citata.

s) Part. II. Cap. 10. p. 154.

t) Vid. in Adpend. p. 272.

u) Libr. III. Obs. 244.

naturalibus propellitur, vel facili demum negotio et sola manus ope educitur. Quod si vero non sequitur, forcipe nostra in minus adhuc volumen redigi ac tandem protrahi debet. Sed alter casus in omnibus mulieribus frequens est, quae vias nimis angustas habent, vti plerumque primi parae vel teneriores, vel iusto annosiores sunt, quibus si partum gerunt in vtero mortuum, forfex Bingiana adhibenda est. Hac enim dilatationem genitalium, parienti sane molestissimam, dilacerationem vaginae atque peritonaei, dolores exinde orituros, immo et mortem ipsam auertere possumus ac praecauere.

Haec ergo sunt, quae TE cum communicare volui, ex quibus, vti opinor, luce meridiana clarius elucescit, quam inutiles haec forfex forceps Bingiana quaestiones illas Medico-legales reddat, et quam pauca in vniuersa arte obstetricia necessaria sint ferramenta. Si quis enim haec duo possideat, praeter vncum, tum illum quem Peu, tum quem Mauriceau inuenit, atque delineandum curauit, nulla alia instrumenta facile desiderabit.

Sed satis profecto verborum, satis de comprehendendis secandisque forcipe forficeque infantum capitibus, vt TIBI, AVVNCVLE OPTVME, harum rerum cogitationi non adsueto, lectionis aliquando paenitere posset, nisi summam TVAM humanitatem, mihi de his rebus olim TE coram differenti aliquoties ita adprobasses, vt si TIBI qualemcunque hanc commentationem lectu iniucundam fore suspicarer, TIBI iniuriam facere viderer. Non possum vero, quin post enarrata matrum infantumque in partu summa pericula,

## XXXII

pericula, summam summi numinis benignitatem, gratissimo animo praedicem, qui T E matremque T V A M annis ab hinc LI. hoc ipso die tanta pericula subituros, non solum ab omni malo incolumes seruare, sed T I B I etiam in hunc lucem edito, ad hunc usque diem pariter atque Coniugi exoptatissimae, liberis carissimis et auiae venerandae praesenti auxilio adesse non dignatus sit. Precibus idem obtestor enixissimis, ut quam T I B I haec tenus fortunam concessit, stabiliat, stabilitam conseruet, TEque sartum teatum, immo ab omnibus sinistrioris fati telis tutum praestet. De me autem T I B I ita velim persuadeas, nunquam me commissurum, ut in T E colendo, venerando, suspiciendo, pietatem, obseruantiam, amorem desideres. Vale mihi que et in posterum fauere perge. Vale iterum iterumque.



17

O R A T I O  
A N N I V E R S A R I A,  
QUAM EX HARVEII INSTITVTO  
IN THEATRO  
COLLEGII REGALIS  
MEDICORVM LONDINENSIS  
DIE OCTOBRIS XVIII A. MDCCCLIX HABVIT  
MARCUS AKEN SIDE M. D.  
COLL. MED. ET REG. SOCIET. SOCIVS.



L O N D I N I :  
A P V D R. ET J. DODSLEY.  
MDCCCLX.

1790  
1791  
1792  
1793

VIRO EXIMIO  
THOMÆ REEVE, M. D.  
PRÆSIDI DIGNISSIMO,  
ET SOCIIS DOCTISSIMIS  
COLLEGII REGALIS  
MEDICORUM LONDINENSIS,  
HANC  
ORATIONEM  
ILLORUM JUSSU EDITAM  
D. D. D.  
MARCUS AKENSIDE.

И М О Р И А

Т Н О В А Д Е В А М

У Р А Б О Т А Д И Г Н И С И М О

А Т С О С И С Д О С Т И С И М А

С О П А Г И Л О Д А П А

М Е Д И С И Н И С И М О

О К А Н

М Е И О Г А Я О

И П П О Р У М І С С А

Д . Д . Д .

М А Р О О А Х С И С И Д

---

# O R A T I O

## A N N I V E R S A R I A

### H A R V E I A N A.

CUM vitam hanc communem memoria percurrimus, et genus humanum tanquam e longinquo contuemur diversis partibus ac personis conspicuum ; ad eos oculi nostri facilime convertuntur, qui vel potestate regia, vel gratia populari, vel studiis militibus florentes, patriæ suæ atque seculi rebus mutationes gravissimas et celerrimas intulerunt. Eorum enim gesta, quod illustri quodam eventu continentur fere ac definiuntur, minimo labore comprehendi mente et revocari possunt. tum etiam animi affectus plerumque vehementius concitant ; sive in publicis commodis versentur ; sive, ut saepius quidem fit, exitus misérabiles et deplorandos habeant. Unde evenit ut hominum sermonibus eorum maxime percrebescat fama, quos

quos bella funestissima, quos regum captivitates, quos imperiorum ruinæ olim nobilitarunt.

Utcunque vero in hac re populi sit judicium, apud vos tamen, auditores, et in hac eruditissimorum hominum corona, de judicio meo confidere posse videor, et si palam profitear disertisque verbis contendam aliud esse hominum genus et longe diversum, qui in posteritatis memoria priorem sibi atque honoratiorem locum merito suo vindicare possunt: quippe qui ad excelsi animi dotes et præclara ingenii edita facinora, certissimam quoque beneficiorum laudem, eamque nulla turpitudine, nulla crudelitatis aut perfidiæ macula contaminatam, addiderunt. eos intelligo qui, ab armorum factionumque strepitu remoti, scientiarum nobilium atque operum utilissimorum auctores extitere; detectis scilicet naturæ mysteriis, patefactis legibus quibus rerum pendet ordo, et eo quasi fundamento constitutis artibus quarum efficacia communi gentis humanæ commodo spectatur. Horum vero Manibus justa persolvere eo magis propensa voluntate debemus, quod dum inter vivos numerarentur, favorem senserunt suis parum meritis respondere. Etenim qui adeo in quæstionibus a vulgari intelligentia remotis sapiunt, plerumque vel in media patria peregrinorum prope conditione vitam degunt: ac licet forte ob ingenii vires rerumque inventarum excellentiam magna quædam serpat de iis hominum opinio, cum tamen in vitæ quotidianæ negotiis parum spectantur, idcirco tenuiori

tenuiori fere auctoritate sunt ; et longe infra regium et imperatorium fastum, longe infra discordiarum civilium principes, multitudinis arbitrio existimantur : umbratiles scilicet viri, atque otii philosophici obscuritate coniecti. Hi forte nonnunquam et a nonnullis spectatoribus incerta quadam ac veluti furtiva veneratione suspiciuntur : at illos rumor comitatur, et spes, et metus, et tumultuosum atque pervicax vulgi præconium. Verum ubi jam mortalitatis lex utrosque ab oculorum atque aurium judicio semoverit, et pari conditione mentis scrutinio subjecerit ; tunc certe fieri vix potest ut cordatorum hominum hæreat suffragium : ut re perpensa dubitemus adhuc an sapientiam innocuam, cum beneficiis immortalibus conjunctam, vi præponamus, et bellorum feritati, et ambitionis artibus, plerumque sœvis, plerumque inhonestis : ut denique in hoc literato conventu desit oratori vestro aut favor aut assensus, dum de majoribus vestris dicturus, eos inter omnium gentium et omnium seculorum principes viros referre audet.

E multis autem variisque adjumentis quæ vitæ humanæ attulit aliquando ingeniorum labor, unum est imprimis amplissima quavis prædicatione dignum : ea nempe quæ intra hos fere quadrageitos annos sapientiæ antiquæ facta est et literarum instauratio. Quod quidem opus si ex unius alicujus viri virtute esset et fortuna profectum, proculdubio iste vir eos omnes qui in

in rebus aut civilibus aut bellicis unquam eminuerunt, beneficiorum magnitudine longe superaret : eorum omnium munificentiam, qui vel civitatum atque legum conditores, vel libertatis vindices, vel patres patriæ sunt forte habiti, longo post se intervallo relinquenter. Quod ne forte existimetis cupide magis quam vere judicatum ; recordamini, quæso, et vobiscum reputate quales fuerint ante istud tempus Europæ nostræ, Britanniæ nostræ incolæ. Discedite paulisper a congressionibus vestris, ab otio isto vestro erudito et curioso ; libros jam manibus familiares deponite ; usitata omittite sermonum quotidianorum argumenta ; ut istius ævi hominibus cogitatione vestra occurratis : ut hominum mentes atque mores, ut communis fortunæ speciem intueami. Profecto mirum erit ni in longe aliam gentem quandam et regionem migrasse vos sentiatis. Vestigia enim vix ulla reperi-  
 etis earum rerum quibus ætas nostra jure præcipuo gloriatur. Non in academiis veritatis vocem audietis : non in templis virtutis agnoscetis auctoritatem. Quod autem ad rerum naturam pertineat, ad hunc quem habitamus terrarum orbem, ad elementorum vires et motus fiderum ; nihil præter meras tenebras offendetis. Illa vero cujus propria est philosophiæ appellatio, illa vitae dux et magistra morum, quæ animi officia et bonorum fines et æternum mundi opificem atque rectorem quasi digito commonstrat, nusquam conspec-  
 tis vestro obversabitur ; inter homines istos aut admo-  
 dum

dum hospes, aut plane ignota. Jam de historiæ monumentis quid expectatis? quorum ope, tanquam novo quodam humanitatis vinculo, gentes remotissimas et secula antiquissima nobis meti ipsi adjungimus; eorum fortunis immiscemur, disciplina imbuimur, notamus vitia, virtutibus vero, auctoritatem quandam majorem ab ipsa vetustate adeptis, ad omnem honestatem atque laudem informamur? Illa omnia propemodum abfuerunt: neque amplior hominibus obtigerat aut clarius vitæ prospectus, quam qualis fere brutis animalibus conceditur, nascendi et moriendi horis interclusus. Nec interea parum refert ad conditionem istorum temporum declarandam, quod rudia omnino essent earum artium quæ pulchritudinis imitatione multiplici allecent hominum animos et mores emolliunt. Quamvis enim neque virtutis neque scientiæ naturam istæ artes in se contineant, scientia tamen ipsa et ipsa virtus ab iis imparata prorsus et inops, rusticitatem quandam præ se fert, horridiorem certe et invenustam. Quid ergo de ipsa infacia dicendum est? de omnium rerum ignoratione? aut quid de vitæ habitu et colore apud ejusmodi homines cendum, quorum neque satis intelligentiæ seipsum veritatis luce comprobare virtus potuit, neque pulchritudinis ornamenti amori commendare, neque ab effrænatis appetitionibus pudoris munimento defendere et tueri? Pudor enim, sine pulchri et decori sensu, nullus est. Sed profecto de incolis illis et imperitis seculis nimis indulgenter et cum præpostera quadam veneratione sentire solemus: nimirum

innocua omnia, et fraudis nescia, et desideriis inanibus  
 curisque vacua, in isto rerum statu cogitantes. cum  
 tamen inter omnes constet, vitia pleraque et pessima  
 vitæ opprobria de cupiditatibus oriri quæ tam in  
 homini rudi quovis et plane sylvestri quam in sci-  
 entissimo atque ornatissimo vigere solent : imo quo  
 magis in veritate multiplici, in rerum abditarum infi-  
 nita meditatione, in mentis denique negotiis versetur  
 voluntas et cura hominum, eo minus ab ipsis cupiditi-  
 bus pendere vitæ universæ tenorem. Hæc autem  
 fusius exponenda duxi, primum ut constet quam nul-  
 lo rationis fundamento nituntur homines illi male feri-  
 ati, quorum adeo cavillationibus perstrepere nuper  
 Gallia et Germania ; qui que scriptis editis confirmare  
 ausi sunt, literas antiquas cum scientiis artibusque  
 variis, quibus excolendis opportunitatem illæ et incita-  
 mentum attulerunt, virtuti, si Diis placet, et bonis mo-  
 ribus detimento fuisse: tum præcipue ut vos, auditores  
 spectatissimi, testes mearum sententiarum et patronos ha-  
 beam ; nullum scilicet clarissimorum hominum ordinem  
 de genere humano melius meruisse, quam qui veterum  
 Græcorum atque Romanorum linguas librosque resti-  
 tuendo, et per varios Europæ populos disseminando,  
 mentem humanam, crassissimæ ignorantiae veterno  
 obrutam, ad vires suas cognoscendas feliciter excita-  
 runt ; atque adeo in eam, qua hodie vivitur, opti-  
 marum rerum ubertatem tandem promoverunt ; egre-  
 gia virtute ac industria viri, laboribus difficillimis pos-  
 terorum

terorum gratia defuncti, nobis certe summa veneratione et gratissimi animi studio semper recolendi.

Horum in cœtu splendidissimo præfulget Linacrus vester: parens vester, reipublicæ vestræ conditor ac famæ fons, atque idem renascentium spes fidissima literarum, barbariæque fatalis hostis, Linacrus. Quem virum et si nulla vobis conjungeret necessitudo proprietate sanctiorque, attamen quotquot adestis, quorum aures legitimum sonum callent, quorum ficta meliore luto præcordia voluptatem e sermonis pulchritudine percipiendam norunt (honestissimam, mediusfidius, et maxime liberalem) vos omnes certo scio in Linacri laudes mecum libentissime descensuros. Isto enim viro nemo unquam aut puriorem ac magis venustam eloquentiæ antiquæ speciem scriptis suis expressit, aut aliis ad eandem laudem contendentibus fideliores navavit et utiliorem operam. Qui cum in ea tempora natus esset quibus Britannia sua vixdum pueritiæ illius idonea præbere posset doctrinæ nutrimenta, tum ætate maturior id affecutus est ut nec ipsa studiorum ejus altrix Italia, ipsa illa communis eruditio et elegantiæ mater, quemquam præ illo ostentare aut posset aut vellet. Italiam vero quo tempore Linacrus invisit, regionem illam totam, et principum aulas et liberarum concilia civitatum, una fere voluntas, unum doctrinæ studium tenebat. Præcipue tamen eminebat Florentinorum fama; quorum respublica, plerumque alias turbulentissima, tunc forte in Laurentii Medicis

ductu ac prope clientela feliciter acquievit. Qui cum  
 per universum nomen Italicum pacis concordiaeque  
 auctor, et bonus, et sapiens, et felix audiret; tum porro  
 ad ista beneficia, patriæ suæ data, nimium heu! cadu-  
 ca, et cum ipso brevi moritura, altera illa pari fane  
 cura, sed melioribus auspiciis adjunxit, ex literis ac dis-  
 ciplinis restitutis oriunda; nullo unquam tempore mo-  
 ritura; per omnes terrarum gentes pertinentia; quo-  
 rum hodie in hoc ipso loco nemo forte vacuus et ex-  
 pers adest. Huic se viro tantopere commendavit indole  
 sua et modestia Linacrus, ut condiscipulum eum et a-  
 micum filiis suis adderet; quorum ætate medius, Jo-  
 annes Medices, postea Leonis X appellatione pontifex  
 Romanus, ad istam, qua omnium aures quotidie  
 personant, eruditæ magnificentiæ laudem pervenit. In  
 illo contubernio quantum profecerit Linacrus; quan-  
 to cum ardore et quanto fructu Christophorum Landi-  
 num, Demetrium Chalcondylem, Angelum Politia-  
 num, Marsilium Ficinum, Johannem Picum audierit  
 et frequentarit; facilius intelligi potest quam verbis  
 significari. Florentia Romam perrexit; ubi Hermo-  
 laus Barbarus in literis regnare ferebatur. Accidit bre-  
 vi ut cum hic forte in bibliothecam Vaticanam in-  
 gressus esset, Linacrum nostrum inveniret Platonis  
 opera versantem, et isti intentum libro quo de pulchri-  
 tudine disputat cum Phædro Socrates. “ Macte, inquit  
 Hermolaus, virtute esto, adolescens; qui in tantam fa-  
 miliaritatem divini scriptoris tam mature venisti.” Inde  
statim

statim in amicitiam ejus receptus et studiorum particeps factus est Linacrus: qui jam per omnem Italiam eruditissima fama insignis, tandem in Angliam suam divitias undique conquisitas reportavit; excellentem nempe Graecorum scriptorum notitiam, eorum præsertim qui in ratione physica atque medica versantur; tantum præterea Latinæ eloquentiæ candorem, quantum aliis nemo in ista ætate asssecutus est, neque etiam in ætate insequenti supergressus quisquam; qua tamen cum summa ambitione fuit inter homines eruditos de ista laude certatum. Domi autem cum statim innotuerat, ab Henrico VII factus est Arturi, filii primogeniti, medicus: postea vero Henricus VIII eum eodem nomine sibi adscivit, et Mariæ illi quæ postea regnavit. Per eosdem annos scripta edidit eximia, de grammatices rudimentis, et de emendata structura Latini sermonis; tum varios Galeni et Procli libros, e Græco sermone in Latinum conversos; quibus constat inter homines doctos eum elegantia et perspicuitate ipsos auctores illos longe superasse. Nimirum hoc ætati isti, nobis utcunque invitis, concedendum est; ut ipse Linacrus Galeno interpretando eloquentiam suam et acumen impenderet. Nam cum in fatis esset ut non nisi per scriptores antiquos humanæ mentes a barbarorum seculorum tenebris unquam vindicarentur; nullo alio labore, temporibus illis, tantam omnibus utilitatem afferre potuerunt eruditissimi sapientissimique viri, quantam scriptores istos in quamplurimorum manus atque usus tradendo.

tradendo. Attamen ut nostri homines, cumjam disciplinis antiquis probe imbuti essent, tandem aliquando pro seipsis saperent, et intactos scientiæ thesauros e natura ipsa petere assuescerent, collegium hoc vestrum instituit Linacrus; et a rege et reipublicæ ordinibus obtinuit, ut legum majestate munitum arti nostræ exinde præsideret, medentium judex et civium salutis custos perpetuus.

Hic vero, collegæ ornatissimi, liceat mihi verbis atque votis paulo vehementer apud vos agere, ut eximii hujus viri sæpe recordemur: ut hoc memoria sæpe repetamus, civitatem nostram literis fundatam esse, auctore viro literatorum principe: ut quibus auspiciis cœptæ sunt res nostræ, iisdem eas optime gestum iri, unice credamus. Si vero incuria quavis aut indulgentia mala id unquam eveniat, (quod quidem, salvis quos video, nunquam verebor) ut indocti homines, nec a prima ætate literarum studiis ad humanitatem informati, quacunque alia commendatione, in sedes has irreperserint, et de artis nostræ disciplina ac regimine in Linaci senatu decernere potuerint; tunc pro certo habeamus barbariem meram esse brevi infecuturam: medendi munus hominibus cessurum imperitis magis ac magis folidarum artium, quam quorum hodie jactationibus ineptis in foro et in triviis obstupescit vulgus: ad eam denique conditionem res redituras, qua, ante Linacrum natum et cognita veteris sapientiæ monumenta, in his regionibus ægrotabant miseri mortales.

Neque interea hæc ita accipi velim, quasi haud ultra veterum libros sapere expediat medecinam exercituriſ : aut quaſi in Hippocratis, aut Galeni, aut Celsi verbiſ ponderandiſ omnem ætatem terere debeamus. Niſirum ea fuit aliquando eruditorum hominum mens, tam prona in veterum ingeniorum venerationem, ut eorum ſententia crederes fere nihil adhuc ſupereriffe quod ex rerum tenebris eruere et in ſcientiæ lucem proferre prudentia generis humani et industria poſſet. Hoc vero malum a medicorum ſtudiis depuliffe, collegii noſtri ſingularis eſt et egregia lauſ. Jam antea quidem, medicorum veterum eruditione, a turpiſſimiſ barbariæ et ſuperiſtitioniſ ſordibus artem ſuam expiaverat Linacrus. Cum autem veterum legitima admiratio, et accepti ab iis beneficij memoria, in obsequium niſium et in ſervitutem creviſſet ; tum demum apud nos exortus eſt qui a cerviſibus hominum jugum iſtud dejecit : qui vana contemnere audere jufſit, et nos quoque veritatis conſuetudine dignos fingere : qui de niue ea quæ niſis ingenioſa excogitaverat antiquitas, de animalium vita et valetudine figmenta, tanquam ægrorum ſomniā, lucidiſ diei telis percuſſit et diſſipavit. De Harveio loquor : quem audiverunt in hoc ipſo loco maiores vestri de ſanguiniſ motu inventa miracula tum prium de promentem. Dii immortales ! quantæ rerum iſignium, recentium, alias iudicarum ſpecies, e facundiſſimo illius ore emanantes, intimas auditio-

auditorum cogitationes isto tempore permeartunt et commoverunt ! Quam novo se splendidoque cultu induebat statim universa medicorum ratio ! Quam fœcunda doctrinarum parens fuit ista Harveyi simplex atque una doctrina ! Cujus quidem in arte nostra utilitatem qui adeo solicite et morose pensitant, quasi de re dubia disceptatio esset ; quiique istam laudem tum demum concedendam arbitrantur, si præceptum aliquod in morbis curandis ex Harveyano invento natum fuisse demonstretur ; næ illi et hujus amplitudinem parum capiunt, et inventoris gloriam iniquo admodum et inepto modulo metiuntur. Ad Harveyum enim primo referendi sunt tot fugati veterum errores, quibus apud illos misere impedita fuit ægrorum administratio : tum recentiorum hominum tot inventa ; tot partium animalium, tot humorum, natura, usus, morbi, remedia, felici labore indagata et detecta : quæ quidem omnia sanguinis motu fundata sunt ; et eo sublato, corruunt. Præterea, in febribus, morborum nempe frequentissimo et funestissimo genere, nonne id pro summo beneficio ducendum est, quod primus mortalium Harveyus et periculi et salutis fontem declaravit ; quem semper intentis oculis respiciamus, et quo judicium nostrum, quo metum atque spem, quo medicamenta moderemur ? Id denique an satis pro magnitudine sua verbis ullis prædicari potest, quod quæ prisci auctores, sola experientia freti, de corporis affectibus singulatim tradiderunt ; quæque adeo in omni quo-cunque

cunque morbo confessim protulisse, et ad multiplicem ægrorum conditionem salutariter applicasse, felicitatis potius erat quam prudentiæ aut consilii cuiusvis opus ; ea fere omnia, intellecto jam Harveii dogmate, simul clarissime perspiciuntur, et causis tenentur suis : tum cognatione quadam inter se conjunguntur, ac se invicem mutuis luminibus illustrant ? Quo fit ut artis regulas et facilius percipiamus, et memoria firmius retineamus, et ad ægrorum res tutius ac peritius accommodemus. Sed quid plura dispuo ? Per universum disciplinæ nostræ ambitum, in vitæ et in mortis historia, in sanitatis conservatione, et in depulsione morborum, primas ubique partes Harveii doctrina tenet. Ille medicorum veterum observationibus scientiæ stabilitatem et perspicuitatem addidit : sine illo nullum, ex recentiorum laboribus, arti accessit aut accedet incrementum.

Et hoc quidem ego persuasum habeo ; si in rerum fato esset et in hominum solertia, ut aliud quoddam in lucem proferretur naturæ artificium, ad corporis humani moderationem instructum, tam valde simplex, tam perpetuo efficax, tam late patens, quam quod iste rerum inventor et humanæ potentiarum amplificator nobis enunciavit ; tum denum fore ut nostra ars, trepida illa quidem, aliquando licet audax, at raro sui omnino secura, firmo tandem certoque gressu incederet, tam a metu remota quam ab audacia : fore tum ut qui eas naturæ leges in corpore fano regendo noverat,

rat, ex ista tanquam specula scientiæ, morbos quoque corporis perspectos haberet, et eosdem tollendi unicam iniret atque veram viam. Nunc autem, cum ab hoc fastigio longe multumque absit medicinæ fortuna; cum inter eas corporis fani vires, de quibus aliquid scientia comprehenditur, et varias morborum formas, immensum interjectum sit et obscurum prorsus intervallum; idcirco alia quadam semita insistere oportet, laboriosa magis, at certe tutioni et minime fallaci. Ab ipsis nimirum morbis incipiendum est; ut qualem præ se faciem singuli ferant, quo cursu progrediantur, quibus rebus aut mitiores fiant aut asperiores, et quo demum exitu concludantur, sedulo dispiciamus. In hoc vero genere Sydenhamus noster, sicut in illo altero Harveius, omnibus omnium ætatuum medicis palmam sine ulla controversia præripuit: Hippocrates enim quid propriis viribus profecerit, aut quantum ex aliis defumpserit, plane nescimus. Imo parum absuit quin Sydenhamum dixerim eorum fere omnium qui res quascunque naturales tractant, maximum se philosophum præbuuisse. Sive enim difficultates expendas quibuscum in variis philosophiæ studiis configendum est, sive ipsorum studiorum fructum atque utilitatem; haud facile invenies cui in utravis ista laude Sydenhamum posthabeas: ipsum licet advoces in partes tuas præclarum illum virum quo adeo superbbit Britannia nostra, et quem omnes fere Europæ populi tanquam philosophorum principem hodie suscipiunt.

ciunt. Ille quidem in otio domestico constitutus, propositi sui arbiter, temporum suorum atque rerum certus, multa quæsivit, multa declaravit, in fabrica mundi et in mathematicorum notionibus, subtilissima sane et magnificentissima. Sydenhamus autem, humanissimus ipse homo, ad homines laborantes aut moribundos repente accersitus, quorum itaque vitæ quoquomodo consulere oportuit, non de morborum naturis experimenta legitima instituere ; inter propinquorum lachrymas, inter uxorum matrumque voces ac vultus ægri salutem ab eo postulantum, inter importunam denique nutricularum garrulitatem, universum philosophiæ negotium egregie absolvit. Multas enim gravissimasque leges naturæ, de re obscura et perturbata fatagentis, de corpore scilicet humano valetudinibus implicato, primus ille perspexit et interpretatus est. Tum vero hisce sapienter usus, artis constituit opera præstantissima, et generis humani imperium in naturam summis beneficiis protulit atque auxit : multis enim morbis, atque uni ex omnibus longe atrocissimo, primus ille curationes adhibuit aptas et salutares. Suam denique observandi curandi- que rationem libris publicavit ; quibus, quod in hominum fortuna divinissimum semper est judicatum, id ille in perpetuum obtinuit ; nimirum ut plurimis vitæ sit et salutis auctor. I nunc ; et siderum momenta, et lucis colores, et geometrarum infinitates commemora. Sunt quidem isthæc forte splendidiora : esse vero majoris aut animi aut ingenii argumenta,

haud temere concedendum est : meliora esse et laude digniora, strenue negandum.

Horum jam triumvirorum unumquemque, Linacrum scilicet, Harveium, atque Sydenhamum, tanquam principem aliquem ac parentem civitatis nostræ, videre video ad se convocare, et ex universo populo nostro sibi diligere, cœtum quendam proprium illustissimorum hominum ; quorum nunc meritis rite designandis neque mea vox neque otium vestrum sufficeret. Quanam enim dicendi copia tot rerum, tot personarum magnitudinem attingere ? animas tot egregias deorum ordinibus adscribere ? in Linacri consuetudinem receptos Caium, Gulstonum, Hameium, Haleum celebrare ? adjunctos Harveio comites Glissonum, Whartonus, Willisum, Lowerum exprimere ? cum Sydenhamo disputantes Mortonum, Radclivium, Freindum inducere ? Te enim, Richarde Mead, ne intra hujusmodi consonationem aliquam includaris, prohibet virtutum tuarum atque laudum excellens amplitudo. In te quidem nihil eorum desideraret Linacrus quæ ipse olim tam fideli studio complexus, tam pertinaci labore consecutus est : non veterum medicorum notitiam ; non Latini sermonis integritatem. Id etiam admiratione sua et fere invidia dignum judicaret, te, cum in tantum Latinitatis usum devenisses, esse tamen inter summos patriæ quoque linguæ artifices nitore ac puritate proculdubio numerandum. Verum neque Harveius quemquam, inter annalium nostros

rum heroas, amicum sibi optaret aut famæ socium,  
 te potiorem : qui adeo solitus es, in longissimo tuo  
 medendi usu, difficiles rerum aditus illius lumine•lus-  
 trare atque aliis aperire : qui tot illi morborum facies,  
 medicamentorum effectus, ægrorum discrimina narrare  
 poteris, quæ omnia, illius inventorum ope, tu sedato illo  
 tuo et expedito judicio solus intellixisti, providisti,  
 superasti ? Sydenhamus denique quantum tibi honorem,  
 quantas gratias habere se profiteretur ; quod eodem quo  
 ille animi candore, eadem experiundi et discendi pati-  
 entia in arte nostra semper versatus, errores forte ab  
 illo, et aliquando etiam a te ipso admisso, ingenue  
 patefeceris, sapienter emendaveris ? quod morborum  
 causas illi ignoratas sagaci animo comprehenderis ;  
 curationes illi desperatas felici opere absolveris ? quod  
 denique, licet peritissimus esses subtiliorum illarum  
 rationum quæ a corpusculorum figuris, fibrarum viri-  
 bus, humorum impulsu, petendæ sunt ; hanc tamen  
 hypothesin tuam, utcunque pulchram ac placentem,  
 ne unquam ægrotorum rebus se nimis infereret, spec-  
 tata animi moderatione retinueris ? Quæ cum ita es-  
 sent, cum tot tantæque dotes in te confluxissent, fa-  
 tale quidem erat ut ad artis nostræ principatum brevi  
 pertenderes ; utque illo potireris et per plures annos  
 producto, et amplioribus fortunæ donis cumulato,  
 quam ulli unquam alii apud nos contigerit. Quanto  
 autem animo, quam splendido plane et liberali con-  
 filio, opibus istis frui noveris, nunc quidem viget in  
 tuorum

tuorum memoria: sed apud alios vereor profecto ne,  
 id quale fuit si verbis figurare possem, ipsa sibi fidem  
 abrogaret oratio. Fuit enim domus tua communis  
 eorum sedes hospitalis, quicunque in literis, in philo-  
 sophia, in artibus ingenuis, vel delectationem suam  
 quærerent, vel industriam collocarent. Ibi de sacris  
 hisce tuendis quotidie fere consultum est. ibi incœpta  
 sua et laborum rudimenta singularum disciplinarum  
 principes judicio tuo probare soliti sunt. Neque intra  
 patriæ fines substitit tua hæc literarum tutela, literatos  
 erga viros perpetua hæc et fida amicitia; tametsi  
 per quadraginta prope annos quocunque perfecerunt  
 hujusmodi opus utilius splendidiusque Britanni homi-  
 nes, id fere vel primo moverit auctoritas tua, vel di-  
 rexerit animadversio, vel ornaverit supellex literaria,  
 vel denique sustentarit et ad exitum pertulerit muni-  
 ficiencia. Quinetiam te, quamvis privatum hominem  
 et ab honorum ambitione remotum, universa tamen  
 Europa certissimum in hac ætate literarum præsidium  
 agnovit quidem et libenter prædicavit. Inde cum re-  
 gibus exteris epistolarum tibi munerumque commer-  
 cium: inde tot atque tanti advenæ tecum hospitio  
 conjuncti. adeo ut si quem forte peregrinum homi-  
 nem eruditionis aut ingenii laude insignem in hac  
 omnium maxima frequentissimaque urbe diversari fa-  
 ma esset, tuorum familiarium dubitaret nemo quin  
 eum brevi salutare posset et coram congregari in domo  
 tua. Isti eam celebritati unum quidem satis comen-  
 dasset

dasset Museum illud tuum ; quod, Musis ipsis dignum Gratiisque templum, librorum lectissima copia, codicibus vetustis, picturarum etiam signorumque pulchritudine, atque omni antiquitatis elegantia instruxeras. Majorem vero commendationem mores attulerunt tui ; dum in tota consuetudine tua viri haud dubie magni species eluceret : in dictis et in factis gravitas : sermones erudit, decora quadam hilaritate temperati, et prudentia rerum utiles, et hominum superiori ætate illustrium mentionem jucundissimam inferentes : in scriptorum meritis dignoscendis judicium sanum, verum, magniloquæ veterum simplicitatis amans, et ab omni affectatione atque fuso alienum : imprimis vero singularis quædam ac præstans naturæ bonitas in animo magno et elato conspicua. Hæc autem, tametsi ex ea profecta sit universa quidem vitæ tuæ ratio, tamen apud ordinem tuum et inter medicorum operum socios quam maxime apparuit : ubi nullum unquam in te desideratum est, aut erga æquales tuos, fraterni animi testimonium ; aut erga juniores, paterni. Quod si in illo cœtu eorum qui jam vixerunt, superstes sit aliquis conditionis humanae sensus et notitia ; credo equidem te veteri illa benevolentia res nostras adhuc prosequi : diei hujuscæ ceremoniæ, recordationi huic ingentium virorum, faventem adesse ; eique aspirare tanquam faci cuidam virtutis minorum animis studiisque admotæ : placido denique ac læto lumine hunc medicinæ statum conspicere,

cere, et Linacri rempublicam eo principe, iis patribus, incolumem : quorum nonnullos sanctissimarum vinculis necessitudinum, plerosque quidem constanti amicitiae et venerationis cultu, tibi adjunctos jamdudum videras ; iisdem quoque artibus florentes quae te, medicorum maxime, hominum beneficentissime, ad tantæ fortunæ atque famæ ornamenta provexerunt, et in hoc virtutis templo æternitati consecrarunt.

F I N I S.

ERRATUM. P. I. II. 7. *proprior—lege propior.*